Tom. VII p 103
155

Sigismundus primus rex Poloniæ; civitatibus ducatus Barensis.

Nobiles et egregii etc: Declaravit nobis nobilis Jostus Decius secretarius et nuntius noster, quam fidem erga nos, defuncta illustrissima matre nostra exhibeatis, de qua tametsi hoc nobis persuadebamus, tamen erat hæc significatio nobis gratissima, hortamurque vos, ut quemadmodum cæpistis, vos gerere non desinatis, et nos pollicemur vobis, quod tam à nobis, quam ab officialibus nostris, omnem gratiam et equanimitatem cognoscetis. Volumus enim in omnibus ita nos gerere et conservare adversus vos, ut iustos et benignos dominos, erga probos et fideles subditos suos decet. Reliqua ex oratoribus nostris, quos ad stabiliendum totum istum statum, et ad providendum defectibus, si qui sunt, cum plena facultate misimus, clarius intelligetis, iuxta quorum ordinationem vos uti probos et fideles subditos decet, conservabitis. Datum 1524.